LUDOVICI LOSCHI

ABBATIS COMMENDATARII SS. SALVATORIS ET GALLI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPÆ XII.

PRÆLATI DOMESTICI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA


EPISCOPI PLACENTIÆ

ET COMITIS

EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

DIŒCESIS SUÆ.





R O M Æ

EXCUDEBAT DE ROMANIS

Facta a Præsidibus potestate.

LUDOVICUS LOSCHI
ABBAS COMMENDATARIUS SS. SALVATORIS ET GALLI
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPÆ XII.

PRÆLATUS DOMESTICUS
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS PLACENTIÆ ET COMES

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET FILIIS IN CHRISTO CHARISSIMIS
CLERI ET POPULI PLACENTINI.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO,
ET DOMINO JESU CHRISTO.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus. Quandoquidem illa tam ferventia vota quibus vos me prosecuti fuistis ad hanc principem urbem, et Religionis arcem proficiscentem, ut Episcopus vester benignitate Summi Magnique Pontificis LEONIS XII. Beati Petri Successoris, a cujus Suprema Sede omnis manat Ecclesiastica dignitas, commendatione Augustissimæ et Piissimæ Ducis Nostræ MARIÆ LUDOVICÆ Austriacæ, solemniter dicerer et consecrarer, adimplevit hodierna Dominica dies dicata patrocinio gloriosissimi Patriarchæ S. Joseph Sponsi Beatissimæ Virginis et Matris Dei MARIÆ.

Tremui sane meæ conscius infirmitatis ad impositum onus, quod summi Viri sanctitate pollentes recusaverunt, et Angeli ipsi formidarent. Erubui et flevi incessantibus lacrymis, dum venerabilibus plena mysteriis Consecrationis actio perficiebatur. Videbar mihi vos ipsos, Fratres et Filii charissimi, conspicere præsentes, cum Eminentissimus et Reverendissimus Princeps Ostiæ et Veliterni Episcopus Cardinalis Julius Maria Della Somaglia, patriæ nostræ decus et gloria, assistentibus Reverendissimis Patriarca Antiocheno, et Archiepiscopo Atheniensi, et manus suas simul adjungentibus, sacrum Evangeliorum librum superimposuit cervici meæ et scapulis, memoransque mysticum amictum, quo olim Deus electum Aaron inter sacra vestiri jussit, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, me gravissime monuit, in ipsa quam pro me fundebat solemni prece, ut in illo Sacerdotii anterioris habitu mentis ornatum significatum agnoscerem; et idcirco quidquid antiqua velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum et in multimodi operis varietate signabant, hoc in meis moribus actibusque claresceret.

Deinde vos ipsos audivisse credidi id quod,

circumlinita mihi sacro chrismate capitis corona, Consecrator Episcopus orando prosequebatur: Hoc Domine copiose in caput ejus influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat; ut tui spiritus virtus et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evagelizandum bona tua. Da ei Domine ministerium reconciliationis in verbo, et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo ejus et prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei Domine claves regni cœlorum, ut utatur, non glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem.

Nonne quasi pro vobis ipsis extimuistis, quamvis in tanta semper reverentia habueritis Episcopos vestros, cum Ille subtexuit: Qui maledixerit ei, sit ille maledictus, et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur? Tum ad me orationem revocans: Sit (ait) fidelis servus et prudens, quem constituas tu Domine super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore opportuno, et exhibeat omnem ho-

minem perfectum. Sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens, oderit superbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat aut laudibus, aut timore superatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium consequatur. Tu Domine sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas.

Postrema hæc verba non modice animum meum erexerunt recogitantem quod etsi nemo ex se ipso idoneus sit vel mente concipere aliquid boni, multo minus et facere; omnia tamen possem in eo qui ad Episcopale ministerium sancto oleo suo me ungebat, et extenso invisibili brachio confortabat. Nec enim frustra et sine magno effectu dixit mihi Pontifex: Accipe Spiritum Sanctum. Hac spe suffultus lætior accepi baculum pastoralem, ut sim in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. Accepi et annulum, Fidei scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodiam. Cumque sæpius

Deo placeat ponere humile in sublime, et per ea quæ non sunt, ea quæ sunt destruere, Pontificali Mitræ caput submisi, istaque galea munitionis et salutis armatum erexi, ut jam non mea, sed Divina virtute cornibus utriusque Testamenti terribilis appaream adversariis veritatis, et impugnator eorum robustus existam.

Sed gubernandam suscipio Ecclesiam, cujus antiqua est Religiò et fides, quam semper immaculatam ab ejus exordio retinuit. Huic sanguine suo S. Antonius Martyr ex fortissima Thebæa Legione fundamentum jecit; tueturque simul Sancta Justina Virgo et Martyr Antiochena, cui dæmones ipsi irati sunt, quod non satis ei fuisset Antiochiam olim accisis ipsórum viribus ad Christum perduxisse, nisi eosdem Placentiæ male perditum iret (1). Tyrannorum persecutionem vicit fides, jamque ejus triumpho felici omine præluserat S. Victor primus Placentiæ Episcopus, cum primum Templum S. Victori Martyri dedicavit. Inde S. Savinus, qui interfuit Nicœno Concilio, et Jesum Christum Filium Dei unigenitum Omousion Patri cum trecentis illis et decem octo Episcopis conclamavit; cujus tanta erat doctrina

(1) Ex Lect. V. Off. Translat. S. Just. V. et M. pro Placentina Ecclesia approbat.

et fidei integritas, ut magnus Ambrosius eidem scripserit professionem fidei suæ, librosque emendandos identidem submiserit. Quid de Mauro, quid de Fulco, quos similiter pro mirabili continentia, humilitate, rerum caducarum contemptu, pauperum amore, orationibus, vigiliis, jejuniis, et non victa laboribus sollicitudine in regenda hac diæcesi, albo Sanctorum insertos veneramur? Quid de B. Paulo de Aretio Cardinali de Theatina familia, cujus adhuc apud nos supersunt tot monumenta pietatis? Vere bonorum omnium memoria dignus, qui decreta Sancti Tridentini Concilii suavi quadam persuadendi vi exequi curavit, et Ecclesiasticam disciplinam pristino splendori restituit.

Num obliviscar B. Gregorium X. Pontificem Maximum, jam Theobaldum Vicecomitem Placentinum et Canonicum Basilicæ S. Antonini, qui postea universam Ecclesiam religionis zelo, et Apostolicis curis amplificavit, cum habito Lugduni generali Concilio Patrum numero omnium frequentissimo, Græcos ejurato schismate ad Ecclesiæ unitatem recepit, editisque pluribus sanctissimis Legibus rem sacram publicam communivit?

Num taceam S. Gerardum Placentinum, qui Potentiæ in Apulia teneram ætatem gratis eru-

diendo talem sibi admirationem pro ejus patientia, integritate et sanctitate comparavit, ut ab illo ludo litterario ad Episcopalem Cathedram evectus sit?

Memorem etiam Sanctos Confessores Peregrinum, Opilium, Gelasium, Domninum, Victorem, Raymundum, Conradum, Philippum, qui mortificatione, qui Ecclesiæ cultu, qui pauperum hospitio civitati Placentinæ, quæ eos genuit, tamquam faces præfulserunt. Memorem Victoriam, Francam, Liberatam, Faustinam Placentinas Virgines, quæ cum se Christo carne et mente vovissent, opus suum consumaverunt magno præmio destinatum; nunc vero Angelorum agmini admixtæ Agnum sequuntur Sponsum, eique dulces et æternos hymnos personant.

Cum igitur filii Sanctorum sitis, non aliam adhortationem vobis præmitto hac Epistola mea, nisi ut in fide, charitate, pietate, quas a Patribus nostris accepimus, constantissime permaneatis. Videte ne quis vos seducat per inanem Philosophiam, quæ cum rerum omnium causas curiosius inquirit, Deum universitatis hujus Opificem vel non agnoscit, vel ei detrahit providentiam et justitiam; siquidem negat Deum curam habere de nobis, ac præmia et pœnas

pro factorum qualitate decernere, simul evertens fundamenta virtutis et societatis. Ab hujusmodi impiis aurem retrahite, eorum Libros ne legatis, nec ab uxoribus, filiis, aliisque vestræ curæ commissis legi et retineri patiamini. Adhærete uni, Sanctæ, Catholicæ, et Apostolicæ Ecclesiæ ædificatæ supra petram, quia supra Petrum, cui etiam in Successoribus suis Dei Filius tantam contulit cum summa ligandi atque solvendi auctoritate fortitudinem, ut portæ inferi nec contra Ecclesiam, nec contra Supremum ejus Caput unquam prævalere possint. Illam ergo amate, cœlestem ejus doctrinam corde retinete, saluberrima ipsius præcepta tamquam boni filii adimplere omnino curate. *Est enim ipsa mater christianorum verissima* (verbis utor admirandi Augustini), *quæ non solum ipsum Deum, cujus adoptio vita est beatissima, purissime atque certissime colendum prædicat, sed etiam proximi dilectionem et charitatem ita complectitur, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud se medicina præpolleat. Illa pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujuscumque non corporis tantum, sed animi actus est, exercet et docet. Ipsa fœminas viris suis ad propagandam prolem, et ad rei*

familiaris societatem casta et fideli obedientia subjicit. Ipsa viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute subjungit, parentes filiis pia devotione præponit. Ipsa fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis, nectit. Ipsa omnis generis propinquitatem, et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ, voluntatisque nexibus, mutua charitate constringit. Ipsa dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adhærere. Ipsa dominos servis summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam coercendum propensiores facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et omnes prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungit. Docet Reges prospicere populis; monet populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus disciplina; quibus objurgatio, quibus supplicium sedulo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et nulli debeatur injuria. De mor. Ec. Cath. cap. 30.

Has sanctissimas leges, saneque divinas, qui-

bus stat Christiana Societas, quasque Philosophia aequare non potuit, populus ab ore vestro requirit, o Sacerdotes. Vos estis lux Mundi. Videte ergo quemadmodun unumquemque opportune admoneatis. Fons sapientiæ verbum Domini. Sacram Scripturam diu noctuque versate, in qua cuncta continentur documenta virtutum. Vos estis sal terrae. Condite fidelium mentes exemplis vestris, ut quisque vobis jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Modestiam sequimini, pacem amate, negotiis saecularibus nullo modo vos admisceatis. Sacros canones et synodales Constitutiones, præsertim de vita et honestate Clericorum, frequenter legite, eisque mores vestros omnino conformate;

Prælucebit universo Clero Capitulum Cathedralis, in quo nunquam non gloriabor me prius Canonici, postea Archipresbyteri locum tenuisse, nunc vero et Senatum habeo et auxilium. A Matrice Ecclesia sument alia Canonicorum Collegia exemplum majestatis, gravitatis, devotionis, et ordinis, quibus divinæ laudes decantantur, et sacræ omnes liturgiæ partes peraguntur. Ad illam cœlestem aulam singuli intendant, in qua mystica quatuor animalia, et viginti quatuor Seniores circumamicti ve-

stimentis albis, habentes singuli phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, se prosternunt ante thronum Dei et Agni, et benedictionem, claritatem, honorem, et gratiarum actionem adprecantur Viventi in sæcula sæculorum. Ita ergo sacram psalmodiam, et alia divina officia omnes choro addicti perficite, ut digni sitis quod desideria et postulationes vestræ ad æternum et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu pervehantur.

Pastores animarum, qui plus omnibus laboratis, novus Compastor vester amantissime alloquor. Haec summa ministerii vestri, animas salvas ducere a regenerationis fonte ad januam Regni. Qua patientia rudes cathechizandi, qua solertia adolescentes examinandi, et disponendi ad Sacramenta, quo studio verbum Dei singulis diebus festis in Missa enucleandum: qua charitate pœnitentes suscipiendi, qua doctrina instruendi, qua divina arte ab inordinato amore creaturarum ad amorem Dei reducendi, qua discretione et justitia satisfactiones imponendæ, quæ medicamina humanæ infirmitati suggerenda, ut a peccatis absoluti salutem stabilem adipiscantur! Porro infirmi visitandi, consolandi, Sacramentis muniendi, in mortis articulo benedicendi, misericordi Deo

in agone commendandi, non dereliquendi nisi ipsi terram dereliquerint.

Sed insuper generali quadam vigilantia vos prospicitis, ut fides conjugalis inviolata servetur, ut filii in timore Domini educentur, ut pax regnet inter familias, ut succurratur pauperum necessitati, ut scandala omnia a parœcia removeantur. Haec laus vestra est, optimi Parochi mihi cogniti Ecclesiæ Placentinæ. Nil aliud optem, quam vestris coronis me participem fieri.

Amate etiam, sicut et facitis, decorem Ecclesiarum vestrarum, et munditiam omnem in sacris supellectilibus, sed præsertim in illis, quæ sanctissimæ Eucharistiæ deserviunt. Ita agite cum piis Administratoribus Fabricarum Parochialium, ut concordi animo nil aliud velitis, et illi velint, quam quod maxime requirit sanctitudo loci, ubi Deus inhabitat, et ubi sacrosancta et tremenda Religionis nostræ mysteria celebrantur.

Quo animo et reverentia affectus pariter sim erga vos adjutores Parochorum, qui cœlestem Mariæ vitam in claustris cum Marthæ sollicitudine in ministerio mirifice conjungitis, bene nostis, et gratulari potius vobiscum et gratias habere debeo, quam ad aliquid adhortari. Id

tamen meo jure postulo, ut orationibus vestris, sacrisque functionibus cum parochialibus coordinatis, populo quidem fulcimenta pietatis, mihi vero de spirituali oleo, quo ardent ante Deum animæ vestræ in contemplatione, tantillum praebeatis.

Quidni idipsum expectem a sacris Virginibus, quæ carnem spiritui subigentes continuo student quomodo placeant Deo? Vos florem appellat S. Cyprianus ecclesiastici germinis, atque ornamentum gratiæ spiritalis, lætam indolem, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum. Igitur ad vos etiam sermonem converto, vos adhortor affectione potius quam potestate, ut cum consilio Directorum vestrorum spiritualium omnem vitam vestram sic semper componatis, ut perfecte respondeat ad sanctimoniam Domini, quem vobis Sponsum tam feliciter elegistis.

Particeps ego sum, Domine, omnium timentium Te. Ideo et ad vos, piæ Laicorum Sodalitates, et devota Consortia, amoris mei sermo dirigitur, non quo vobis novum addam incitamentum ad pietatis exercitia frequentanda, quod jam summa aedificatione facitis in Oratoriis vestris, sed cupiens, ut non minus parochiales Ecclesias matres vestras distributis tem-

poribus frequentetis. Quapropter sicut estis primi inter Parochianos Religione et Christianis moribus, ita estote erga ipsas Parœcias vestras devotione præcipui.

In imo vos pectore habebam, candidissimi Iuvenes Seminarii dioecesani et Collegii Alberoniani, qui spem Dioecesis continuo erigitis et alitis; et ideo cum cæteris jam plura verba consolationis et exhortationis dederim, vobis postremo cor meum dono. Præceptores, et Institutores vestri scientia Sanctorum et pietate prævalidi vos efformant et præparant Ecclesiæ bono. Unus fons est, de quo bibitis cœlestem sapientiam. Satagite servare hanc doctrinæ unitatem, ut quia conjunctis viribus hodiedum omnes Sectæ contra Catholicam Fidem conspirant, sic vos conjuncti animo et studio eam suo tempore armis uniformibus instructi defendatis; et unum sapiendo, in regimine animarum uberiorem fructum consequamini. Id obtinebitis excolendo sententias Sanctorum Augustini et Thomæ Aquinatis, quos veluti oculos universæ Theologiæ Ecclesia suscipit ac veneratur. Replemini spiritu S. Vincentii a Paulo, eumque vobis imitandum proponite tum pietate et amore in IESUM CHRISTUM, extra quem nihil vobis placere, ut ipse sæpe,

dicatis, tum zelo et charitate præsertim in ruricolis et pauperibus evangelizandis, *elegit enim Deus pauperes hæredes Regni sui.* Exemplar habetis in ejusdem filiis venerabilibus Presbyteris Congregationis Missionis, quibus æterna obligatione devincta est Ecclesia nostra, quod eorum cura et laboribus, seu in majoribus Clericis instituendis et exercendis, seu in frequentibus Missionibus habitis per totam qua late patet Dioecesim, vestem et colorem mutavit. Sic ergo proficite, Christi Levitæ electi, et ejus sanctæ domus Ephœbi, ut jure vocemini Pastoris gaudium et corona.

Oro gloriosissimam semper Virginem MARIAM in cœlum assumptam, quæ deliciis affluit in sinu Filii sui, cujus non solum videt Humanitatem, quam ab ipsa suscepit, mortis victricem et clarissima luce splendentem ad dexteram Patris, sed intuetur etiam Divinitatem, et torrente voluptatis effunditur: Oro beatissimum Ejus Sponsum S. Joseph, in cujus Patrocinii Festo quam faustissimo Episcopus consecratus sum: Sanctum Antoninum oro et Justinam et Cœlites omnes hujus civitatis et Diœcesis Patronos, ut votis meis obsecundent, et vires mihi addant, et lumen impetrent a Patre luminum, et constantiam, ut quod pro salute animarum, pro

Cleri disciplina, pro Ecclesiæ splendore a me expectatis, Fratres et Filii charissimi et desideratissimi, id et si mea virtute non possum, pientissimo tamen eorum auxilio exequi valeam.

Invoco divinum Numen super Oecumenicum Ecclesiæ Pastorem et Patrem, verum Jesu Christi Vicarium, et totius Christianitatis Caput LEONEM XII., ut Deus et Dominus Noster eum sospitem perfecte reddat, et incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ, ut Christiana plebs sub tanto Pontifice fidei suæ meritis augeatur; et Placentina Diœcesis quæ honorem obtinuit, ut Romanæ Sedi sit immediate subiecta, claris Ejus virtutibus jam magis proxima incrementum accipiat Religionis, et hoc singulare privilegium fructibus antiquæ suæ devotionis erga Apostolicam Sedem accrescat.

Deus summus, a quo omnis potestas emanat, qui cœlestia simul et terrena moderatur, respiciat etiam ad Augustissimam et Religiosissimam Ducem Nostram MARIAM LUDOVICAM, ut cui dedit cor Matris amantissimæ populi sui, Illam Subditi revereantur et ament ut filii, ejusque sollicitudinibus pro publica et privata tranquillitate servanda, ipsorum felicitate augenda obsequantur. Proceres virtute refulgeant; Magistratus custodia justi-

tiæ et veritatis. Protectrix Religionis et morum terreat qui fidem moresque corrumpunt. Grata redoleant thimiamata in Ecclesia, et preces ingeminentur pro sospitate munificæ cultricis Templi sancti Dei. Gloriosa et felix sine fine regnet cum Christo in cœlis, quæ Regnum Christi avita pietate suffulsit in terris.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Ex hoc plenissimo fonte Unius Triniqne Dei primam meam pastoralem benedictionem, licet absens corpore, spiritu tamen præsens, vobis peramanter impertior.

Dat. Romæ extra Portam Flaminiam VII. Idus Maji MDCCCXXIV.

LUDOVICVS EPISCOPUS.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverend. P. Magistr. Sacr. Palat. Apost.

Joseph della Porta Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Philippus Anfossi Ord. Præd. Mag. Sacr. Palat. Apost.